Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



uxor eius dicens. Nichil tibi et iusto illi. Multa enim passa sum hodie propter eum. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis ut petierent barraban. iesum uero perderent. Respondens autem praeses. ait illis. Quem uultis uobis de duobus dimitti. At illi dixerunt. Barraban. Dicit illis pylatus. Quid igitur faciam de iesu. qui dicitur xpto. Dicunt omnes. Crucifigatur. Ait illis praeses. Quid enim mali fecit. At illi magis clamabant dicentes. Crucifigatur. Videns autem pylatus quia nichil proficeret sed magis tumultus fieret. accepta aqua lauit manus coram populo dicens. Innocens ego sum a sanguine iusti huius. uos uideritis. Et respondens universus populus dixit. Sanguis eius super nos et super filios nostros. Tunc dimisit illis barraban. iesum autem flagellatum tradidit eis. ut crucifigeretur. Tunc milites praesidis suscipientes iesum in praetorium congregauerunt ad eum uniuersam cohortem. et exuentes eum clamide coccinea circumdederunt ei. et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius. et harundinem in dextera eius. Et genu flexo ante eum. illudebant dicentes. Aue rex iudeorum. Et exspuentes in eum acceperunt arundinem. et percutiebant caput eius. Et postquam illuserunt ei. exuerunt eum clamide. et induerunt eum uestimentis eius. et duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem inuenerunt hominem cyrenaeum nomine simonem. hunc angariauerunt ut tolleret crucem eius. Et uenerunt in locum qui dicitur golgotha. quod est interpretatum calu[illegible] locus. Et dederunt ei uinum bibere. cum felle mixtum. Et cum gustasset. noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum diuiserunt uestimenta eius sorte mittentes. et sedentes seruabant eum. Et impuerunt super caput eius causam ipsius scripta. hic est iesus rex iudeorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones. unus a dextris et unus a sinistris. Praetereuntes autem blasphemabant eum mouentes capita sua. et dicentes. Vae qui destruis templum dei. et in triduo illud reedificas. Saluum te metipsum. Si filius dei es. descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus dicebant. Alios saluos fecit. se ipsum non potest saluum